LECTORI BENEVOLO

S. D.

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Siſtimus in præſenti Patriæ Hiſtoriæ Syntagma, a prima gentis origine, ad præſens vſque tempus continuatum. Haut exigui laboris Opus eſſe facile patebit, in quo, excuſſis tot ſeculorum documentis, rerum geſtarum monumentis, ſeligenda fuerunt vera a falſis, fabulæ a fide veritateque hiſtorica. Haut equidem inficior, non deeſſe Germanicæ Hiſtoriæ conſarcinatores, qui etiam in recenſendis bellicoſæ gentis factis prolixi ſunt & exuberantes: ſed, dum plerique ſua ſaltim nitantur auctoritate, fide certa deſtituuntur. Hoc autem exinde malum, vt dum alter alterum ſequatur, exinde non niſi dubia oriantur, incerta & ſæpe fabuloſa. Mihi autem curæ cordique potiſſimum fuit, vt quidquid longa anno-